CONJECTANEA

IN ALIQUOT LOCOS

BACCHARUM EURIPIDIS

SCRIPSIT

DR. CAROLUS ALTHAUS.

Beilage

zum

Jahresbericht des städtischen Gymnasiums zu Spandau

1884.

1884 Progr. No. 86.

Multa quotannis et fere quotidie in veteres scriptores emendationibus quas dicunt et coniecturis a viris doctis et in editionibus et in annalibus et in commentariis peccari neminem accuratius veterum scripta tractantem effugerit. Rectissime Aemilius Kirchhoffius in praeclaro prooemio lectionum Berolinensium aestivarum anni 1882 dicit novarum coniecturarum segetem his proximis annis in editionibus ita succrevisse, ut iam non adnotatio amplecti possit, et bonam earum partem in appendicem reiciendam esse. Ipse autem vir summe venerandus luculenta et perspicua disputatione de pluribus difficilioribus locis Electrae Sophocleae praeclarum verae interpretationis et emendationis exemplum nobis ante oculos posuit, ex qua, ut dicit, discamus, quibus cautionibus quibusve difficultatibus emendatio Sophoclea impediatur. Quod quidem ille de Sophocle dicit, non minus de Euripidea emendatione stare videtur et ex animi sententia subscribimus eis, quae nuper alius vir doctus in annalibus novis philologicis a Fleckeisenio editis a. 1883 vol I. pag. 30 de falsa via ac ratione iudicat, qua recentiores editores Euripidem vexant, comparata cum simplici et sincera interpretatione Godofredi Hermanni hodie nimis neglecti. Digna videntur verba quae h. l. repetantur: „Ich habe eine Stelle besprochen, in welcher ich mit Gottfried Hermann nicht übereinſtimmen konnte, andrerseits ist es sehr befremdend, daß die Herausgeber des Euripides die vielen Goldkörner, die ſich in Hermanns Werken finden, aufzulesen und zu verwerten nicht einmal der Mühe für wert gehalten haben. Wenn der Leſer sich an der Lektüre erfreuen ſoll, ſo muß er doch wenigstens dasjenige, was sicher und evident verbessert ist, im Texte finden; statt dessen liest man noch immer den handschriftlichen Unsinn und ärgert sich, dass man eben keinen Sinn herausfinden kann, wo längst schon die helfende Hand Hermanns geschickt und offenbar die Wunden geheilt hat.“ Jam cum mihi necessitas imposita esset, ut ipse hoc anno annalium huius gymnasii aliquid prooemii instar scriberem, placuit ut eius poëtae, in quo et his proximis et multo superioribus annis plurimum studium navavi, nonnullos locos ad disputandum eligerem, qua in re mihi et ipsi accidit, ut saepius contra recentiorum editorum sententiam ad Hermanni iudicium redire cogerer. Itaque liceat de nonnullis locis prologi et parodi Baccharum, qui medelam nondum subierunt, hac occasione data, paulo accuratius disserere. Sunt autem Bacchae, ut extrema poëtae aetate natae sunt, ex genere earum Euripidis fabularum, quae propter magnum numerum corruptelarum maxime auxilio egere videntur, ut Bernhardyus dicat (hist. lit. gr. III, p. 482.) superesse

non spicilegium, sed uberrimam messem observationum. Textus enim nititur duobus tantum codicibus, Romano et Florentino, deterioris notae, quippe quorum uterque decimo quarto demum post Christum saeculo scriptus sit. Neque extant scholia, nisi forte quis drama illud insulsum, quod inscribitur Christus patiens scholiorum loco habendum esse dixerit. Utique hoc subsidio ad emendandas fabulas Euripideas summa cum cautione utendum est, cum neque illud certum sit, meliores Baccharum codices scriptorem huius fabulae ante oculos habuisse, et id per se pateat, ei qui Christum celebrare voluerit, multa ad suum usum argumentique rationem immutanda fuisse.

Ceterum mihi non in animo est inquirere, num iure Bernhardy totum Baccharum prologum ab Euripide abiudicaverit, etsi non infitior pluribus difficultatibus eum laborare, tamen eae non tales sunt, ut a ratione reliquorum Euripidis prologorum longe recedant. Neque Böckhii sententiam retractare volo, qui in iuvenili libro de tragoediae graecae principibus statuit iam antiquitus duplicem Baccharum recensionem factam esse, etsi plures difficultates, quae legentibus occurrunt, hoc auxilio tolli posse videntur.

Baccharum editiones mihi praesto fuerunt praeter Kirchhoffium et Nauckium Elmsleji 1822, Hermanni 1823, Schoenii 1858, Weckleinii 1876. Praeterea in hoc libello conscribendo his libris usus sum:

Böckh tragoediae graecae principum num ea quae supersunt et genuina omnia sint et forma primitiva servata an eorum familiis quoque aliquid debeat ex iis tribui Heidelberg 1808.
Bernhardy Theologumenorum graecorum pars III. in indice lectionum hibern. Halens. 1857.
Collmann de Baccharum fabulae Euripideae locis nonnullis Glückstadt 1875.
Middendorf observationes in Euripidis Bacchas Monasterii 1867.
Bock de Baccharum prologo et parodo commentatio philologica Colbergae 1871.

In versu octavo multum interpretes particula τε vexavit. Codices omnes habent ὁρῶ .... δόμων ἐρείπια τυφόμενα Δίου τε πυρὸς ἔτι ζῶσαν φλόγα, ἀθάνατον Ἥρας μητέρ' εἰς ἐμὴν ὕβριν. Barnesius primus particulam τε omisit, revocavit Musgravius; Aug. Matthiae Δίου τ' ἔτι πυρός dedit ex coniectura Porsoni ad Or. 499. Cuius verba sunt: Mutatus est verborum ordo ab aliquo, qui vocem ἔτι a verbo ad quod pertinebat, disiunctam ferre non potuit, ut est ib. 416 ἔτι πυρὰ θερμὴ τάφου. Maxime autem digna est quae commemoretur alia scriptura, quam suppeditat Plutarchus in Solone p. 79: ὅθεν ὕστερον (ὡς ἔοικεν) εἰς διαφορὰν αὐτῶν ἐν τῇ πολιτείᾳ καταστάντων οὐδὲν ἤνεγκεν ἡ ἔχθρα σκληρὸν οὐδ' ἄγριον πάθος, ἀλλὰ παρέμεινεν ἐκεῖνα τὰ δίκαια ταῖς ψυχαῖς, καὶ παρεφύλαξε τυφομένην ἁδροῦ πυρὸς ἔτι ζῶσαν φλόγα τὴν ἐρωτικὴν μνήμην καὶ χάριν.

Sane haec vox ἁδροῦ multa contra se habet. Non enim intelligi potest, quid sibi velit illud ἁδροῦ πυρὸς. nunquam enim quisquam dixit πῦρ ἁδρόν, nunquam omnino tragici adiectivo ἁδρός utuntur. Contra Δῖον πῦρ optime se habet, praeter alios dixit Euripides Alc. 5: οὗ δὴ χολωθεὶς τέκτονας Δίου πυρὸς κτείνω Κύκλωπας et Suppl. 934: τὸν μὲν Διὸς πληγέντα Καπανέα πυρί. Weckleinius Δῖον πῦρ explicans Διόβολον πῦρ affert etiam Alc. 128 Διόβολον πλῆκτρον πυρὸς κεραυνίου et Bacch. 599 κεραυνοβόλος ἔλιπε φλόγα Δίου βροντᾶς.

Non igitur dubitandum, quin hoc sit ab Euripide scriptum Δίου πυρὸς ἔτι ζῶσαν φλόγα; sed quaeritur, quomodo haec verba intellegenda sint, quomodo cum antecedentibus coniungenda.

Et plurimi quidem editores arcte coniungunt ἐρείπια τυφόμενα φλόγα, ut φλόγα dependeat a participio τυφόμενα, ut Herod. dicit τύφειν καπνόν (IV, 196): „ἐσβάντες ἐς τὰπλοῖα τύφειν καπνόν." Ita Hermannus explicat: „fumans vivam adhuc caelestis ignis flammam." Schoenius explicat: „Dampfend, mit Dampf erfüllt, von der noch glimmenden Flamme." Weckleinius dicit verbis τυφόμενα φλόγα significari fumum igneum ex ruinis ascendentem, qui indici sit flammam sub cinere clam vivere. („Der aus den Trümmern aufsteigende Qualm zeigt, daß die Flamme noch unter der Asche glimmt"). Collmannus denique dicens φλόγα pro obiecto participii habendum esse, illum Plutarchi locum explicat: „ut enim in incendio fere iam extincto quantus fuerit ignis, etiam multo post tempore fumo indicatur, ita e memoria et gratia, quantus antea inter Solonem et Pisistratum amor fuisset, postea cognitum esse." Et ad illum accusativi liberiorem usum confirmandum exempli causa affert: Eur. Alc 1453 νόστιμον ἔλθοις πόδα; Or. 1043 τέρπου κενὴν ὄνησιν; Rhes 4: οἳ τετραμοίρου νυκτὸς φρουρὰν προκάθηνται. Sed haec exempla a Collmanno allata ad locum de quo agimus non quadrant, cum accusativi hi necessarium objectum sint ad intransitiva verba ἔλθοις, τέρπου, κάθηνται, quem accusativum dicunt interioris objecti; in nostro autem loco τυφόμενα etiam casu non addito per se intelligi potest neque necessarium erat addere obiectum ad notionem fumandi accuratius explicandam. Accedit autem alia causa, quare hic Dindorfii diſtinctionem praeferamus. τύφω enim in activa forma significat fumum efficere, Rauch machen, räuchern ut Soph. Ant. 1009: κηκὶς μηρίων ἐτήκετο κἄτυφε κἀνέπτυε; Herod. 4, 196 καπνὸν τύφειν Rauch machen, fumum submittere; Arist. vesp. 1059: καπνῷ τύφειν τὴν πόλιν urbem fumo explere; καπνῷ τύφειν μελίσσας apes fumo expellere, ib 457. In passivo significat fumo consumi, rauchen, schwelen, glimmen, ut Eurip. Tro. 146 τύφεται Ἴλιον et nostro loco δόμων ἐρείπια τυφόμενα, ruinae domus ardentes; sensu translato de amore Meleager 13 (Anthol. XII 63) dicit πόθοις τυφόμενον γλυκὺ πῦρ dulcis flamma amoris desiderio se consumens; τύφεσθε ὑποκαιόμενοι id 4 (Anth. XII, 92) flamma amoris consumimini; τύφεται πῦρ ἐγκρύφιον Philod. 15 (Anth. V, 124) ardet clandestinus ignis, τυφόμενος πόλεμος Plut. Sulla 6 bellum nondum extintum, sed adhuc ardens. Omnes hi loci probare videntur non posse τύφεσθαι, quia ubique medialem sensum habet, cum accusativo obiecti coniungi, sed verba, quae sequuntur Δίου πυρὸς ἔτι ζῶσαν φλόγα ita intelligenda esse, ut Dindorfius fecit, qui particula τε deleta et post τυφόμενα commate posito haec verba appositionis loco habuit explicans: „video fumantes aedium ruinas, vivam etiam nunc divini ignis flammam." Fumus igitur ex ruinis oriens indicio est, ignem nondum extinctum esse. Neque voro poëta satis habet, hoc unum ad fumum apposuisse, sed pro sua abundantia orationis alteram appositionem addit: ἀθάνατον Ἥρας μητέρ' εἰς ἐμὴν ὕβριν.

Recte Schoenius dicit verba ἀθάνατον usque ad ὕβριν appositionis instar esse ad totum enuntiatum ἐρείπια usque ad φλόγα, similia ex nostra tragoedia afferens v. 30: Κάδμου σοφίσμαθ' ὧν νιν οὕνεκα κτανεῖν ib. 246: ἐν ποικίλαισι νεβρίσι Τειρεσίαν ὁρῶ πατέρα τε μητρὸς τῆς ἐμῆς πολὺν γέλων; 1225 λεύσσω γὰρ αὐτὴν ὄψιν οὐκ εὐδαίμονα et recte sententiarum duarum nexum in vv. octavo et nono ita explicat: in igne clam sub cinere ardente memoriam ὕβρεως Junonis conservari. Altera igitur appositio, quae in v. nono continetur, simul causam affert, quare Jupiter Semeles domum igni deleverit, nempe propter perpetuum odium Junonis in Semelen. Simili modo etiam accusativum illum Κάδμου σοφίσματα in v. 30 explicandum puto, ubi Bacchus narrat, qua causa adductus Thebas venerit (v. 26—31.)

ἐπεὶ μ' ἀδελφαὶ μητρὸς ἃς ἥκιστ' ἐχρῆν
Διόνυσον οὐκ ἔφασκον ἐκφῦναι Διός
Σεμέλην δὲ νυμφευθεῖσαν ἐκ θνητοῦ τινος
εἰς Ζῆν' ἀναφέρειν τὴν ἁμαρτίαν λέχους,
Κάδμου σοφίσμαθ', ὧν νιν οὕνεκα κτανεῖν
Ζῆν' ἐξεκαυχῶνθ', ὅτι γάμους ἐψεύσατο

h. e. Semelen culpam adulterii in Jovem contulisse ex Cadmi commenticiis consiliis, quorum causa ipsam interfecisse Jovem iactabant. Recte igitur Theod. Kockium huius loci sensum reddidisse puto, vertentem: „Da meiner Mutter Schwestern .... Semele verklagten, dass von Männertrug berückt sie Zeus schuldgebe, was sie selbst verbrochen nach Kadmus Weisung: Darum auch, so fabeln sie, vertilgte Zeus sie, weil sie seinen Bund erlog."

Venimus iam ad alterum locum, qui multum viros doctos vexavit, ut difficile sit novi aliquid proferre. Versus 13—25 ita traditi sunt:

λιπὼν δὲ Λυδῶν τὰς πολυχρύσους γύας
Φρυγῶν τε Περσῶν θ' ἡλιοβλήτους πλάκας
Βάκτριά τε τείχη τήν τε δύσχειμον χθόνα
Μήδων ἐπελθὼν Ἀραβίαν τ' εὐδαίμονα
Ἀσίαν τε πᾶσαν ἣ παρ' ἁλμυρὰν ἅλα
κεῖται μιγάσιν Ἕλλησι βαρβάροις θ' ὁμοῦ
πλήρεις ἔχουσα καλλιπυργώτους πόλεις
εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν
κἀκεῖ χορεύσας καὶ καταστήσας ἐμὰς
τελετὰς ἵν' εἴην ἐμφανὴς δαίμων βροτοῖς
Πρῶτος δὲ Θήβας τῆσδε γῆς Ἑλληνίδος
ἀνωλόλυξα νεβρίδ' ἐξάψας χροὸς
θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα κίσσινον βέλος.

Turbatum horum versuum ordinem iampridem vario modo viri docti restituere conati sunt. Bernhardyus quidem (in indice lect. hib. Hal. 1857 p. V) versu 20 deleto versum 23 post v. 25 ponere vult **lacunam** post 23 statueus, ut hic ordo versuum sit:

πλήρεις ἔχουσα καλλιπυργώτους πόλεις
Κἀκεῖ χορεύσας καὶ καταστήσας ἐμὰς
τελετάς, ἵν' εἴην ἐμφανὴς δαίμων βροτοῖς,
ἀνωλόλυξα νεβρίδ' ἐξάψας χροὸς
θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα κίσσινον βέλος.
πρώτας δὲ Θήβας τάσδε γῆς Ἑλληνίδος.

Post hunc versum unum minimum versiculum cum verbo finito intercidisse putat. Sane non nego causas, quas v. d. affert gravis momenti esse et tolerabilem versuum ordinem restitui. „Primum enim, inquit, in codicum scriptura κἀκεῖ, quod omnes intellegunt ad Thebas referri non posse, quaeque sequuntur, cum superiorem memoriam itinerum Asiaticorum absolvant, perperam tamen locantur et delitescunt in secundaria sede post apodosin . . . deinde Θήβας ἀνωλόλυξα satis audacter dictum, etsi non ignoramus analogia quadam accusativum

iuvari, libet in prologo simplicissime scripto mirari.“ Hoc quidem recte dixit, tamen nondum omnes, quae legenti occurrunt, difficultates sustulit, neque probare possum eum hunc versum 20 eiecisse: εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν, in qua primaria quasi sententia totius narrationis contineatur, cum omnes illae res, quae levioris momenti sunt, participiis ἐπελθών, χορεύσας, καταστήσας exprimantur. Priusquam autem meam ipsius sententiam, si qua tamen est, de his versibus exponam, videamus, quomodo alii viri docti corruptelae mederi conati sint.

Paley Anglus in editione sua anni 1858 lacunam post v. 22 statui vult. Usenerus in museo Rhenano vol 23, p. 158 existimat tantum tres versus 13, 20, 26 Euripidis esse,

λιπὼν δὲ Λυδῶν τὰς πολυχρύσους γύας
εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν,
ἐπεὶ μ'ἀδελφαὶ μητρὸς ἃς ἥκιστ' ἐχρῆν, ...
Διόνυσον οὐκ ἔφασκον ἐκφῦναι Διός,

reliquos autem versus 14—19 et 21—25 postea demum a docto aliquo additos esse narrationis amplificandae causa. Quam sententiam probare non possum, cum illa narratio, si sola ab Euripide profecta esset, nimis exilis et minuta esset, cum totus prologus aperte copiam quandam et amplitudinem narrationis prae se ferat. Facillima illa mutatio esse videtur, quam olim Piersonus (Verisimilia p. 122) proposuit quamque etiam Weckleinius et Collmannus probaverunt, ut v. 20 post 22 ponatur et post πόλεις ita continuetur:

κἀκεῖ χορεύσας καὶ καταστήσας ἐμὰς
τελετάς, ἵν' εἴην ἐμφανὴς δαίμων βροτοῖς,
εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν
πρώτας δὲ Θήβας τῆσδε γῆς Ἑλληνίδος
ἀνωλόλυξα νεβρίδ' ἐξάψας χροὸς
θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα κίσσινον βέλος

Weckleinus tantum pro πόλιν scripsit χθόνα, quod Stobaeus habet et quod saepius χθών et πόλις commutantur.

Sed ne hoc quidem placet. Iam Boeckhius in libro de principibus tr. gr. p. 310, ut etiam Bernhardius iure contra Piersonum affert ineptam esse repetitionem eiusdem verbi sequente continuo versu εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν, πρώτας δὲ Θήβας τῆσδε γῆς Ἑλληνίδος ἀνωλόλυξα. Uterque iure offendere videtur in v. ἀνωλόλυξα activa significatione. Nam ἀνωλόλυξα, Boeckhius inquit, foret hic ὀλόλυγμον ἐκίνησα, quod verendum ut Graecum sit; nam ἀνολόλυξαι et ἐπολολύξαι omnibus ubi invenitur tragicorum locis neutra significatione usurpatur, cf. Eur. Tro. 1000 ποίαν βοὴν ἀνωλόλυξας (cum obiecto quod dicunt interiore). Iph. T. 1337 χρόνῳ δ'ἀνωλόλυξε, Soph. El. 750: ἀνωλόλυξα τὸν νεανίαν (accus. causae). Aesch. Ag. 1238: ὡς δ'ἐπωλολύξατο ἡ παντότολμος; Choeph. 942: ἐπολολύξατ' ὦ δεσποσύνων δόμων ἀναφυγὰς κακῶν (Eur. Hel. 371 habet non ἀνολόλυξεν, sed ἀνοτότυξεν, item Aesch. Ag. 1074: ἀνατότυξας, quem utrumque Böckh affert). Hac causa motus Boeckhius putavit verba πρώτας δὲ Θήβας τῆσδε γῆς Ἑλληνίδος pro varia lectione ex priore editione desumta esse et locum ita continuandum:

εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν
κἀκεῖ χόρευσα καὶ καταστήσας ἐμὰς

τελετάς, ἵν' εἴην ἐμφανὴς δαίμων βροτοῖς,
ἀνωλόλυξα νεβρίδ' ἐξάψας χροὸς
θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα κίσσινον βέλος

Iniuria Collmanus contra hanc coniecturam id obstare dicit, quod eiecto v. 23 non appareat, quonam participia ἐξάψας et δοὺς referenda sint, „cum ad ipsum deum ea pertinere vix quispiam dixerit.“ Sed e contrario intelligitur facile ad Ἑλλήνων referenda esse. Recte igitur puto Böckhium illum versum 23 eiecisse. Sed non assentior eidem viro spectatissimo pro participio χορεύσας scribenti indicativum χόρευσα, cum cumulatio participiorum plane Euripidea sit, verba autem finita rarissime in hac narratione adhibeantur, ut stationem quandam orationi profluenti parent. Illa autem molesta repetitio, quae Piersoni mutatione efficitur, non tolli videtur, etiamsi cum Weckleinio et Collmanno in v. 23 πόλιν mutamus in χθόνα, ut primum Asiae regionibus, quas Deus perlustrasse se dicit, terra Graeca opponatur, in Graecia ipsa autem primum Thebae nominentur, ubi Deus sacra sua instituerit, etsi non nego per se facile πόλιν et χθόνα commutari potuisse (v. Collm. p. 8). Ad v. ἀνωλόλυξα transitivam significationem defendendam Weckleinius affert Iph. T. 367 αὐλεῖται πᾶν μέλαθρον, Soph. Aj. 144: ὑπὸ τοιούτων ἀνδρῶν θορυβεῖ Eur. — 691: ὀλολύξεται πᾶν δῶμα. Quae exempla non plane quadrant, cum his omnibus locis verbum medialem formam habeat. Schoenius quoque errat ἀνωλόλυξα interpretans: bacchico furore explevi. („So wie ich dort in Asien meine Festtänze eingeführt, so habe ich hier im hellenischen Lande zuerst gerade Theben zu Jubel aufgeregt“). γέ enim scribit pro δέ vulgata. Hermannus traditam scripturam servans totius loci sententiam hanc esse dicit: „Peragratis multis Asiae regionibus nunc primum ad hanc Graecorum urbem accessi, illic quoque sacris meis introductis. Primum autem hanc Graeciae urbem Bacchico furore explevi, quod matris meae sorores me deum esse negarunt.“ Vereor ut God. Hermanno assentiri possim. Iure enim Bernhardyus dicit haec verba κἀκεῖ χορεύσας κτλ. . . . cum superiorem memoriam itinerum Asiaticorum absolvant, perperam locari et delitescere quasi in secundaria sede post apodosin. Recte Collmannus quoque contra Hermannum hoc afferre videtur, non posse Bacchum, „ibi quoque“ (κἀκεῖ) dicentem de Thebis cogitare, ubi idem facturus sit, quod iam antea in Asia egerit, quod qui hanc particulam adhibet, ad id quod antea actum, non ad id quod postea futurum sit, respiciat. Iure enim miraremur, si Bacchus, postquam Asia relicta in Graeciae urbem se venisse iam narravit, tunc demum quid in Asia fecisset exponeret.“ Aliam viam emendationis Bockius ingressus est, qui versu 20 eiecto participium ἐπελθών in ἐπῆλθον et verba ἵν' εἴην in ἐδείχθην mutavit, contra quem Collmannus recte affert hoc modo versus 13—23 inepte a ceteris discerni, quasi Bacchus itinera sua describere velit, quod tamen ab argumento huius prologi alienum sit. Ceteras causas a Bockio prolatas recte Collmannus refutavit, ut hac opera supersedere possim. Illud tantum commemoro versum

εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν

ut iam supra dixi, utique servandum esse.

Una literula mutata Willamowitz de Möllendorf in Herma vol. 14 p. 179 hunc locum emendavisse sibi videtur, cum pro κἀκεῖ in v. 21. scripserit τἀκεῖ, praeterea nihil mutaverit. Quae coniectura quamquam lenissima est, tamen mihi probabilis non videtur, cum etiam nunc

rectum orationis decursum desiderem. Quodsi enim particula ἐκεῖ, id quod inter omnes convenit, ad Asiae regiones pertinet, non apparet cur non poëta hos duos versus

τἀκεῖ χορεύσας καὶ καταστήσας ἐμὰς
τελετάς, ἵν' εἴην ἐμφανὴς δαίμων βροτοῖς.

statim post v. 19 collocaverit, cum primaria sententia, quae in v. 20 continetur, in fine demum totius narrationis itineris succedere deberet, illa autem Willamowitzii scriptione, quae ad prodosin pertinent, male in apodosi collocentur. Manent igitur sic quoque plures difficultates et dubitationes, manet quod transpositione v. 20 quam Piersonus commendavit, inutiliter et moleste consimilis sententia deinceps repetitur, quae repetitio non evitatur, etiamsi πόλιν mutamus in χθόνα, manet gravis dubitatio de v. ἀνωλόλυξα cum obiecto coniuncto. Accedit autem mea quidem sententia aliud argumentum, quod editores fugisse video. Puto enim non solum in v. ἀνωλόλυξα, sed etiam in verbis quae sequuntur νεβρίδ' ἐξάψας χροὸς θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα κίσσινον βέλος jure offendi posse, cum his verbis quae descriptionem bacchici cultus contineant, sententiarum nexus male turbetur. Deus enim tota illa itineris sui descriptione nihil aliud agit nisi ut causam afferat, qua motus omnibus Asiae regionibus peragratis tandem Thebas venerit, nempe ut eos ulciscatur qui divinam suam originem negent. Quo in sententiarum conexu illa verba, quae ad attributa cultus Bacchici pertinent, aptum locum habere non videntur. Multo aptius haec verba post v. 34 locarentur, ubi haec legimus

σκευήν τ' ἔχειν ἠνάγκασ' ὀργίων ἐμῶν.

Fortasse etiam illa verba, de quibus agimus, memoriam repetunt eorum, quae v. 176 Tiresias dicit Cadmum e domo evocans:

οἶδε δ'αὐτὸς ὢν ἥκω πέρι
ἅ τε ξυνεθέμην πρέσβυς ὢν γεραιτέρῳ
θύρσους ἀνάπτειν καὶ νεβρῶν δορὰς ἔχειν
στεφανοῦν τε κρᾶτα κισσίνοις βλαστήμασιν.

Quid multa? Puto corruptum locum optime ita sanari ut versus 20 post v. 22 transponatur, tres autem versus qui sequuntur 23—25 eiiciantur, cum per interpolationem nati rectum versuum ordinem turbent.

His constitutis orationem sic igitur procedere credimus:

λιπὼν δὲ Λυδῶν τὰς πολυχρύσους γύας
Φρυγῶν τε Περσῶν ἡλιοβλήτους πλάκας
Βάκτριά τε τείχη τήν τε δύσχειμον χθόνα
Μήδων ἐπελθὼν Ἀραβίαν τ'εὐδαίμονα
Ἀσίαν τε πᾶσαν, ἣ παρ' ἁλμυρὰν ἅλα
κεῖται, μιγάσιν Ἕλλησι βαρβάροις θ'ὁμοῦ
πλήρεις ἔχουσα καλλιπυργώτους πόλεις,
κἀκεῖ χορεύσας καὶ καταστήσας ἐμὰς
τελετάς, ἵν' εἴην ἐμφανὴς δαίμων βροτοῖς,
εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν
ἐπεί μ'ἀδελφαὶ μητρός, ἃς ἥκιστ' ἐχρῆν
Διόνυσον οὐκ ἔφασκον ἐκφῦναι Διός

Ut ne quid omittam, obiter commemoratum voluerim Collmannum hos sex versus prologi ut spurios ejici velle:

v. 9 ἀθάνατον Ἥρας μητέρ 'εἰς ἐμὴν ὕβριν
vv. 30, 31 Κάδμου σοφίσμαθ' ὧν νιν οὕνεκα κτανεῖν
Ζῆν 'ἐξεκαυχῶνθ' ὅτι γάμους ἐψεύσατο
v. 33 μανίαις, ὄρος δ' οἰκοῦσι παράκοποι φρενῶν
v. 41, 42 Σεμέλης δὲ μητρὸς ἀπολογήσασθαί μ' ὕπερ
φανέντα θνητοῖς δαίμον' ὅν τίκτει Διί.

Et versu 33 quidem concedo hos bene carere posse, cum versuum ordinem inutiliter turbet et inepte praesumat, quod v. 36 demum de mulierum insania dicitur. De aliis versibus quos attuli necessariam causam quae cogat spurios habere non video.

Reliquis quae levioris momenti sunt omissis iam ad parodum pervenimus. Postquam enim in prologo Deus, quo consilio venerit accurate exposuit et se eos, qui divinam suam originem negent gravissimo supplicio affecturum minatus est, iam Dei comites Bacchae in scenam prodeunt, Dei laudem Bacchico carmine celebrantes. Numerus versuum est Jonicus a minore, qualis in singulis exclamationibus ut τίς ὁδῷ, τίς ὁδῷ; ἴτε Βάκχαι, εἰς ὄρος, in frequenti commeratione nominum Διόνυσος, Βρόμιος, praecipue autem in exeuntibus strophis apparet, intermixtis choriambis et anapaestis. Et in primo quidem stropharum pari choryphaeus Dei nomine invocato a Bacchis postulat, postquam cum Deo magnam partem orbis terrarum peragraverunt ut more antiquitus consueto carmen Deo dignum edant. Responsionem carminis antistrophicam contra Elmslejum restituit God. Hermannus, quo auctore prima stropha nunc ita legitur:

Ἀσίας ἀπὸ γαίας
ἱερὸν Τμῶλον ἀμείψασα θοάζω
Βρομίῳ πόνον ἡδὺν κάματον τ' εὐ-
κάματον Βάκχιον εὐαζομένα.

h. e. „Asiatica ex terra profecta sacro Tmolo relicto Bromio laborem iucundum et fatigationem dulcem in me suscipio Bacchum celebrans deum."

Post Βρομίῳ Kirchhoffius responsionis causa lacunam posuit, Schoenius τόν, Nauckius interposuit θεῷ. Utrumque mihi non necessarium videtur, si in antistropha scribimus ὁσιούσθω pro ἐξοσιούσθω. Recte Hermannus dicit compositum verbum ἐξοσιοῦσθαι hoc loco minus poëticum esse quam simplex, etsi Hesychius legisse videtur ἐξοσιούσθω. Praeterea ὁσιοῦσθε legitur v. 114: ἀμφὶ δὲ νάρθηκας ὑβριστὰς ὁσιοῦσθε. Habemus igitur anapaestum quem duo Jonici sequuntur, ut etiam ita digerere possimus anapaesto in antecedente posito:

Ἀσίας ἀπὸ γαίας
ἱερὸν Τμῶλον ἀμείψασα θοάζω Βρομίῳ
πόνον ἡδὺν κάματον τ' εὐ-
κάματον Βάκχιον εὐαζομένα

Quibus verbis antistropha respondet, ubi tantum extrema vox dubia est:

τίς ὁδῷ, τίς ὁδῷ, τίς
μελάθροις; ἔκτοπος ἔστω στόμα τ' εὔφημον ἅπας

ὁσιούσθω, τὰ νομισθέν -
τα γὰρ αἰεὶ Διόνυσον . . . .

h. e. „Quis in via, quis in via est? quis intra aedes? cedat loco et pio ore unus quisque lingua faveat. Nam ut sollemne est, semper Bacchum celebrabo.“ Recte Schoenius Hermannum secutus horum verborum hunc sensum esse dicit: „Der Chorführer fordert jeden, der sich etwa auf dem Wege, den er beschreitet, oder im Hause, dem er sich naht, findet, zur üblichen Heilighaltung des Ortes und der Handlung auf, dass sie nämlich Platz machen und andächtiges Schweigen beobachten.“

Paulo artificiosior videtur Hermanni interpunctio, qui in primo versu pronomen τὶς accentu gravi scribens

τὶς ὁδῷ; τὶς ὁδῷ, τὶς
μελάθροις; ἔκτοπος ἔστω

interpretatur: ecquis in via? ecquis in aedibus? Et pergit: „quibus verbis chorus favere linguis Thebanos iubens et eos appellat qui in via sunt et illos qui sint in aedibus. Deinde utrosque monet, eos qui in via sint ἔκτοπος ἔστω dicens, (h. e. ut de via decedant) eos autem qui intus sint in domibus suis, quos non opus est cedere iuberi, certe linguis ut faveant hortatur. Sed quoniam hoc etiam ad illos qui extra domos ei obvii sunt, pertinet, addit ἅπας, quo hos quoque comprehendat. Ex quo apparet sensum loci hunc esse: sive quis in via, sive quis intus apud se est, cedat nobis qui in via est, omnes autem linguis faveant.“ Melius placet interrogatio directa. Non recte Weckleinius Elmsleium secutus signo interrogationis post tertium τὶς posito coniungit μελάθροις ἔκτοπος ἔστω h. e. ἐκ τῆς ὁδοῦ ἔκτοπος ἔστω ἐν τοῖς μελάθροις, ὅστις ὁδῷ ἐστιν, εἰς μέλαθρα ἐξιστάσθω, quem usum dativi directionem ad aliquem locum exprimentis defendere conatur exemplis a Krügero allatis in Gr. Gr. II, 46, 2, 2, 4, quae autem exempla nihil probant, nam omnibus his locis dativus etiam statum in aliquo loco exprimere potest: πρηνὴς ἁλὶ κάππεσε Οδ. ε, 374, γαίῃ πήξας Οδ. λ. 129, γῇ λύματ' ἐκβάλλειν Eur. Hel. 1271; πεδίῳ πέσεν Il. ε, 82. πίπτειν πέδῳ Soph. El. 747. ἵετο πέδῳ Eur. Or. 1433 (ubi Herm. ἵετ' ἐν πέδῳ); οὐρανῷ ἐστήριξε κάρα Il. δ, 443, δεμνίοις πέπτωκε Eur. Or. 88. Notandum videtur omnia haec verba talia esse, in quibus etiam in Germanica lingua utrumque casum ponere possumus, „niederfallen an einem Orte, zu Boden fallen“ Acquiescendum igitur in Hermanni interpretatione, qui simplice sensu veri rectum invenit.

Major difficultas in ipso fine strophae extat, ubi vulgata codicum lectio praebet ὑμνήσω, quod metro adversatur, cum stropha habeat εὐαζομένα. Hermannus ut Ionicum recuperaret scripsit κελαδήσω, Nauckius brevius κελαδῶ. Nauckius illud futurum ὑμνήσω ortum esse putat ex male intellecto αἰεί, quod Jacobs in εὐοῖ mutare voluit. αἰεὶ enim non cum verbo finito, sed cum participio νομισθέντα coniungendum esse putat. Mihi quidem perinde esse videtur, utrum αἰεὶ ad verbum finitum an ad participium referamus, cum sensus utrumque permittat, dummodo sciamus quid verbum finitum fuerit. At cum sententia chori sit ea quae olim antiquitus ad Bacchi laudes celebrandas instituta sint, semper a se observatum iri, equidem suspicor intercidisse μελετῶ „curo“ vel simile verbum et accusativum Διόνυσον ad νομισθέντα referendum esse (quae de Dionyso instituta sunt). Similiter chorus de Dirce dicit v. 534:

ἔτι καὶ τὰν βοτρυώδη
Διονύσου χάριν οἴνας
ἔτι σοι τοῦ Βρομίου μελήσει

h. e. „Bromius tibi curae erit,“ ad quem locum Weckleinius bene affert Aesch. Prom. 167:

ἦ μὴν ἔτ' ἐμοῦ, καίπερ κρατεραῖς
ἐν γυιοπέδαις αἰκιζομένου
χρείαν ἕξει μακάρων πρύτανις.

Post hoc sollemne exordium chorus in secundo stropharum pari incipit eorum beatam sortem celebrare, qui divinorum Bacchi mysteriorum participes facti sunt, et veterum de miro Dei partu fabulam narrat:

„Beatus ille quicumque felix sacra deorum sciens vitam sancte agit et consecratur anima, in montibus bacchans, sacris purgationibus, et matris magnae Cybeles orgia rite peragens thyrsumque quatiens et hedera coronatus Bacchum veneratur. Ite Bacchae, ite Bacchae, Bromium deum, Dei filium Dionysum deducentes ex Phrygiis montibus in latos vicos Graeciae, Bromium. Quem cum olim gestaret in partus puerperalibus laboribus, cadente Iovis fulmine utero eiectum mater peperit, relinquens vitam fulminea plaga. Puerperalibus autem thalamis statim Saturnius Jupiter eum excepit et occultans in femore aureis fibulis inclusit abditum a Junone. Postquam autem parcae perfecerunt, cornigerum deum peperit et draconum sertis coronavit, unde eos captos thyrsigerae Maenades crinibus suis innectunt.“

In v. 95 libri habent θαλάμοις, quod sine causa a viris doctis vexatum est. Et Weckleinius quidem scribi vult θαλάμαις, ut etiam v. 561: ἐν ταῖς πολυδένδρεσσιν Ὀλύμπου θαλάμαις, cum Hesychius habeat θαλάμη τρώγλη, κατάδυσις, θάλαμος, οἶκος, μυχός. Sed nonne idem etiam masculinum θάλαμος significare potest? mihi quidem ab origine inter utrumque vocabulum θάλαμος et θαλάμη nullum vel parvum discrimen fuisse videtur, cum utrumque certe ab eadem stirpe derivetur. Ineptum est quod Etymologicum magnum praebet sub v. θάλαμος: εἰ μὲν σημαίνει τὸν νέον οἶκον, ἐν ᾧ εἰσέρχεται ἥ τε νύμφη καὶ ὁ νυμφίος, γένεται παρὰ τὸ θάλλω, εἰ δὲ σημαίνει τὴν οἰκίαν, γίνεται παρὰ τὸ θάλπω, θερμαίνω, cum omnibus fere locis quibus haec vocabula inveniuntur primaria vis et significatio sit locus quo quis se recipit, quo quid clam fit, ut non videatur. Sed altera quaestio hic existit, utrum h. l. cubiculum coniugale an uterus hoc verbo significetur. Et Schoenius quidem putat Iovis femur per imaginem significari eodem modo quo postea ἔτεκεν dicatur de patre. („Durch λοχίοις θαλάμοις wird die Hüfte des Zeus bildlich bezeichnet. Entsprechend steht nachher ἔτεκεν in dem Sinne, wie sonst von der Mutter“). Fere idem Weckleinius sentire videtur, cum dicit his verbis novum uterum significari, in quo fetus nondum maturus usque ad secundum partum nutriatur („eine neue Höhlung, wo er zur zweiten Geburt reifen sollte“), quae verba versu sequente accuratius explicentur κατὰ μηρῷ δὲ καλύψας et confert ad hanc sententiam confirmandam, quae v. 526 chorus Iovem dicentem facit: ἴθι, Διθύραμβ' ἐμὰν ἄρσενα τάνδε βᾶθι νηδύν. Iam non nego aptissime Iovis femur cum utero per se comparari posse, nego autem hic fieri ea causa quam iam Leo Adrianus attulit (in libello de cantico quod est apud Euripidem Bacch. 367—426 Görlitz 1860), quod admodum invenusta et languida foret eiusdem notionis repetitio (λόχιοι θάλαμοι i. e. femur et femoris vocabulum ipsum μηρός). Etiam Carolus Middendorf Schoenii explicationem reiciendam putavit, cum imago neque

venusta neque poëtica sit, si λογίοις θαλάμοις pro femore dicatur. Quamquam de venustate imaginum imprimis in rebus ad Venerem et ad liberorum procreationem pertinentibus veteres aliter ac nos sensisse notissimum est.

Probant igitur hi viri docti conjecturam quam olim Fridericus Jacobsius fecit in animadvers. in Euripidem p. 107, qui pro λογίαις θαλάμαις legi voluerat λογίαις παλάμαις „manibus obstetriciis Jupiter eum in custodiam suam recepit." Equidem hanc conjecturam, etsi ingeniosa est, probare non possum, primum enim manus h. l. nihil ad rem faciunt, praeterea autem quid sibi velint manus obstetriciae non intellego, et totum hoc enuntiatum valde languide et otiose dictum esse videtur. Itaque ego puto in tradita lectione acquiescendum esse, sed haec verba λογίοις θαλάμοις non de femore Jovis, sed de cubiculo puerpero vel de Jovis ipsa domo intellegenda esse. Quod si statuimus, evitatur illa molesta repetitio eiusdem notionis et oratio bene procedit. „Post Semeles mortem Jupiter fetum nondum maturum in domum suam coniugalem recepit et in femore suo occultatum aurea fibula inclusit clam Junone."

Ne quis offendat in v. λογίοις post breve intervallum bis posito (λογίαις ἀνάγκαις, λογίοις θαλάμοις) tantum id commemoro talem repetitionem eiusdem vocis non solum apud Euripidem, sed etiam apud ceteros tragicos saepius inveniri. Habemus exempli gratia in hoc carmine χθόνιος vv. 538 et 541, φόνιος 543, 555; ὁσιοῦσθαι 70 et 114. Aeschylus scripsit πάνδυρτος Pers. 940, 944; γοεδνός 1016, 1026, ναύφρακτος 899, 999. In versu 102 Weckleinius pro librorum θηροτρόφοι vel θυρσοφόροι scripsit accus. θηροτρόφον, quem cum ἄγραν ἔνθεν coniungit et totum enuntiatum ita explicat: ἔνθεν ἑλοῦσαι θηρῶν τροφήν, addens serpentes a Baccho desumtos in ipsis Baccharum corporibus accrescere („Die vom Dionys genommene Schlangenbrut wächst angesetzt an ihnen fort"). Vereor ut recte scripserit; nimis enim artificiosa videtur illa explicatio et dubito num recte coniungi possit ἄγρα θηροτρόφος pro ἄγρα θηρῶν vel ἄγρα ἐν ᾗ θῆρες τρέφονται. Sane θηροτρόφος dicitur Νύσα v. 557; sed ibi nihil aliud significat ac feras pariens, serpentibus abundans. Itaque in Hermanni interpretatione acquiescendum puto, qui dicit ἔνθεν ad dracontas referendum, ἄγραν autem praedicati loco intelligendum esse et totum ita explicat: „unde eos captos Maenades crinibus innectunt." Recte etiam Elmsl. dicit, ἄγραν captos serpentes interpretari Brodaeum. Neque meliorem interpretationem proferre possum. Aldus legit θηροτρόφοι, quod Brodaeus monet significare ὀφιοτρόφοι. Defendi posset θηροτρόφοι, si opus esset, vel etiam θηροφόροι vel θηροφόνοι. Sed recte Laurent. habet θυρσοφόροι quod reiectum a Musgravio e mss. Paris. admisit Brunckius, Noster Cycl. 63 dicit: οὐ τάδε Βρόμιος, οὐ τάδε χοροί, Βάκχαι τε θυρσοφόροι. Verbum θυρσοφορεῖν extat v. 557: πόθι Νύσας τᾶς θηροτρόφου θυρσοφορεῖς θιάσους.

Boeckhius in libro de gr. tr. principibus secundum suam de metricis rebus sententiam, qua longiores versus amabat, versus 78 sq. ita digessit, ut duas haberemus decapodias Jonicorum a minore:

Τά τε ματρὸς μεγάλας Ὄργια Κυβέλης θεμιτεύων
ἀνὰ θύρσον τε τινάσσων κισσῷ τε στεφανωθεὶς
Διόνυσον θεραπεύει.
Ἴτε Βάκχαι, ἴτε Βάκχαι, Βρόμιον παῖδα θεὸν θεοῦ
Διόνυσον κατάγουσαι Φρυγίων ἐξ ὀρέων Ἑλ-
λάδος εἰς εὐρυχόρους ἀγυίας τὸν Βρόμιον

Quibus versibus accurate respondere vult eos, qui sunt in antistropha:

λογίοις δ'αὐτίκα νιν δέξατο θαλάμοις Κρονίδας Ζεύς,
κατὰ μηρῷ δὲ καλύψας χρυσέαισιν συνερείδει
περόναις κρυπτὸν ἀφ' Ἥρας.
ἔτεκεν δ'ἁνίκα μοῖραι τέλεσαν ταυροκέρων θεόν,
στεφάνωσέν τε δρακόντων στεφάνοις, ἔνθεν ἄγραν θη-
ροτρόφοι Μαινάδες ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις.

Habemus, inquit B., primum decapodiam Jonicorum a minore integram, in tertio pede longarum priore soluta in breves duas, in septimo vero brevibus duabus contractis in unam longam. Altera pars et ipsa decapodia est, sic tamen ut decimi pedis ultima syllaba brevis sit pro longa, ac proinde arsis ultimi huius Jonici a minore una cum adiecto spondeo efficiat dipodiam trochaïcam, numerus vero Jonicus desinat in Anacreonticum, cui deinceps additur choriambus per mutationem numeri, quam Graeci vocant μεταβολήν. Plane eodem genere usum esse Aeschylum Pers. 72 sq., nisi quod uno trochaeo brevius metrum sit:

Κυάνεον δ'ὄμμασι λεύσσων φόνιον δέργμα δράκοντος
πολύχειρ καὶ πολυναύτης Σύριον δ'ἅρμα διώκων
ἐπάγει δουρικλύτοις ἀνδράσι τοξοδάμνην Ἄρην.
Ant. δόκιμος δ' οὔτις ὑποστὰς μεγάλῳ ῥεύματι φωτῶν
ἐχυροῖς ἕρκεσιν εἴργειν ἄμαχον κῦμα θαλάσσας.
ἀπρόσοιστος γὰρ ὁ Περσᾶν στρατὸς ἀλκίφρων τε λαός.
Epod. δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;
τίς ὁ κραιπνῷ ποδὶ πηδήματος εὐπετοῦς ἀνάσσων;
φιλόφρων γὰρ παρασαίνει βροτὸν εἰς ἄρκυας ἄτα,
τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲκ θνατὸν ἀλύξαντα φυγεῖν.

Idem metrum est quod Horatium in carminibus (III, 12 „miserarum est") adhibuisse inter omnes constat. Post Boeckhium recentiores metrici et editores recte ad breviores versus, qui facilius et oculis et auribus comprehendi possint, redierunt. In Aeschyli loco tantum Dindorfius longiores versus servavit, nostro editores omnes breviores restituerunt, tantum in finibus strophae et antistrophae constituendis eos inter se differre video. Kirchhoffius, Nauckius, Weckleinius digesserunt ita:

Φρυγίων ἐξ ὀρέων Ἑλλάδος εἰς ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ –
εὐρυχόρους ἀγυίας τὸν Βρόμιον – ⏑ ⏑ – ⏑ – – – ⏑ ⏑ –
ant. στεφάνοις ἔνθεν ἄγραν θυρσοφόροι
μαινάδες ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις.

Aliter Schoenius: Φρυγίων ἐξ ὀρέων Ἑλ- ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –
λάδος εἰς εὐρυχόρους ἀγυίας, ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ – –
τὸν Βρόμιον. – ⏑ ⏑ –
ant. στεφάνοις, ἔνθεν ἄγραν θυρ-
σοφόροι Μαινάδες ἀμφιβάλλον-
ται πλοκάμοις.

Quomodo Hermannus digesserit, pro certo dicere me non posse doleo, cum haec scribens illius editionem non iam in manibus habeam. Omnium autem illarum partitionum, ut libere dicam, mihi nulla placet, cum numerus rhythmicus praecipue in ultimo versu meis quidem auribus non bene turbari videatur, siquidem post tam longam seriam jonicorum versuum subito ultimus strophae versus plane mutato numero logaoedico incipit. Rectius h. l. Elmslejus sensisse videtur, etsi plerumque hujus viri metrico judicio minus confidere possumus. Elmslejus digessit:

Φρυγίων ἐξ ὀρέων Ἑλ- ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –
λάδος εἰς εὐρυχόρους ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ –
ἀγυίας τὸν Βρόμιον ⏑ – – – ⏑ ⏑ –
ant. στεφάνοις, ἔνθεν ἄγραν θυρ-
σοφόροι Μαινάδες ἀμ-
φιβάλλονται πλοκάμοις.

Habemus igitur in penultimo versu Jonicum a minori, sequente anapaesto, ut in prima stropha habueramus:

ἱερὸν Τμῶλον ἀμείψα- ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –
σα θοάζω Βρομίῳ . . . . ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ –
ant. μελάθροις ἔκτοπος ἔστω
στόμα τ᾽ εὔφημον ἅπας . . . .

Ultimus autem versus facillime mihi explicari posse videtur ita ut bacchium cum choriambo conjunctum esse jubeamus. Hoc modo partientes etiam Boeckhii partitioni proxime accedemus, evitata simul molesta versuum longitudine.

Sequitur iam tertium par stropharum, in quo chorus Thebanos hortatur ut cultum Dei rite instituant simulque musica instrumenta in eo adhibenda commemorat.

„O Thebae, nutrices Semeles, coronamini hedera, florete, florete viridi smilace pulchros fructus ferente et ad Bacchi honorem quercus vel abietis frondibus ornamini et maculosarum indumenta pellium cervinarum variegate candidorum capillorum penicillis insertis et sancto ritu protervas ferulas sumite. Mox omnis Thebana terra Bromium tripudiis celebrabit, cum primum thiasos ducit in montem, in montem, ubi muliebris turba manet, de telis et textoriis radiis turbata a Baccho. O patria Curetum et divina Cretae natalitia, Jovis domicilia, ubi triplicem galeam gestantes in antris Corybantes hunc tympani rotundum orbem corio intentum invenerunt eique Bacchicum admiscuerunt flatum dulce sonantium Phrygiarum tibiarum et in matris Rheae manus illud posuerunt, strepitum consonum Baccharum clamori; a matre autem furentes satyri illud obtinuerunt et ad choreas Trieteridum adhibuerunt, quibus Bacchus delectatur.“

Haud exiguam difficultatem praebent verba v. 126 sq., quae in libris valde corrupta traduntur ita ἀνὰ δὲ βακχεῖα συντόνῳ κέρασαν ἡδυβόα Φρυγίων αὐλῶν πνεύματι, quibus verbis vario modo viri docti medelam inferre conati sunt, atque dubito num omnino sanari possit corruptela. Sensus aperte est cum Cretico tympano, a Corybantibus et Curetis sacerdotibus Cybeles invento, Phrygiam tubam coniunctam esse ad musicam Deo dignam pariendam, id quod paulo post (v. 157 sq.) his verbis exprimitur: μέλπετε τὸν Διόνυσον βαρυβρόμων ὑπὸ τυμπάνων, . . . ἐν Φρυγίαις βοαῖς ἐνοπαῖσι τε, λωτὸς ὅταν εὐκέλαδος ἱερὸς ἱερὰ παίγματα βρέμῃ. (Schoenius: „die Verbindung von Flöte und

Tympanon ist ein wesentliches Erfordernis für die Feier von Orgien jeder Art, besonders bacchischer. Beide Werkzeuge werden als ursprünglich dem Dienst der Rhea Cybele bezeichnet a Catullo 60, 9: tympanum tubam, Cybele, tua, mater initia.“) Recte Fritzius vertit (in versione a Kockio edita): „heilige Kuretenwohnung, räumige Grotten Kretas, wo mir die Haut der Rinder dreifach behelmt die starken Korybanten zur Pauke spannten und den erregenden Donnerklang lockendem phrygischen Flötengetön lieblich mischten.“ Itaque Schoenius facile mutans πνεύματι in πνεύματα coniungi vult: ἀνεκέρασαν (sc. tympano vel sonis tympani) βάκχια πνεύματα συντόνων ἁδυβοᾶν Φρυγίων αὐλῶν, qua in scriptura mihi displicet cumulatio ista genetivorum et languidum illud epitheton συντόνων. Hermannus coniecit praeter alia, quae ipse minoris facit, potissimum ἀνὰ δὲ Βακχάδι συντόνῳ κέρασαν ἡδυβόᾳ αὐλῶν Φρυγίων πνεύματι „temperarunt tympana concordante Bacchico Phryg. tibiarum spiritu“. Collmannus: βακχεῖον δ'ἀνὰ τύμπανον κέρασαν ἁδυβοᾶν Φρυγίων αὐλῶν πνεύματι. Wecklein denique audacissime ἀνὰ δὲ mutavit in αὐδᾷ quod respondeat strophico verbo στικτῶν et totum locum ita explicat: αὐδᾷ συντόνῳ κέρασαν βάκχια πνεύματα ἁδυβοᾶν Φρυγίων αὐλῶν „mit dem Tone von dem gespannten Leder des Tympanon vermischten sie den bachchischen Hauch der phrygischen Flöte.“ Quam coniecturam probare non possum. Primum enim αὐδᾷ pro ἀνὰ δὲ audacius mutatum videtur, deinde αὐδὰ σύντονος magnopere dubito num significare possit sonum corii intenti „Der Ton von dem gespannten Leder“, cum haec coniuunctio nimis audax vel in tragico sermone esse videatur. Itaque aliam emendationis viam ingredi oportebit. Antea tamen paulisper ad God. Hermannum redire liceat qui recte dicit ἀνὰ δὲ in principio orationis positum tam bonum, tam genuino simile, tam elegans esse, ut temerarius sit, qui hoc quidem mutare audeat. Ipsum verbum ἀνακεραννύναι saepius usurpatur. Homerus Od. 3, 390 dicit ἀνὰ κρητῆρα κέρασσεν. Ar. ran 512 οἶνον ἀνεκεράννυ; et simili tmesi legitur in v. 80 ἀνὰ θύρσον τε τινάσσων.

Quod autem ipse Hermannus legi vult: ἀνὰ δὲ βακχάδι συντόνῳ κέρασαν ἡδυβόᾳ Φρυγίων αὐλῶν recte Collmannus dicit satis multas causas impedire quominus comprobemus, quarum gravissima est, quod forma Βακχάδι nullo omnino Atticorum scriptorum loco reperitur, et si extaret hoc adiectivum, non cum abstracto substantivo, quale est πνεῦμα, coniungi posset, sed ad personam quandam referendum esset. Quod praeterea Hermannus coniecit scribi posse ἀνὰ δὲ σύντονα βακαχίῳ κέρασαν ἡδυβοᾶν αὐλῶν Φρυγίων πνεύματι, minus placere confiteor, quia obiectum ad κέρασαν desidero. deinde adiectivum συντόνων quod ad vocem αὐλῶν referendum esse dicit, tantum difficultatis praebet, ut cum Collmanno in eo potissimum quasi sedem corruptelae esse censeam. Apud Soph. enim ubicunque occurrit, nihil aliud atque latinum adiectivum vehemens vel acer significat, quae notio non bene cum altero (ad tibias referendo) adiectivo ἁδυβοᾶν convenit. Aliter Euripides Iph. Aul. 1118 hoc adiectivo usus est σύντονα τοῖς σοῖς γράμμασιν h. e. congruentia cum litteris tuis. At Euripides si hoc exprimere voluisset, utique dativum aliquem adiectivo συντόνῳ addere debebat, ut in latino quoque sermone participium concordans vix usurpari potest, nisi id adicitur, quocum concordat. Hoc recte Collmannus. Quod vero idem v. d. coniecit scribendum esse τύμπανον pro συντόνων et versus ita collocandos esse:

βακχεῖον δ'ἀνὰ τύμπανον
κέρασαν ἁδυβοᾶν Φρυγίων
αὐλῶν πνεύματι

id quidem bonum sensum praebet, vereor autem ut Euripides ita scripserit. Primum enim non intelligitur quomodo notissimum illud vocabulum τύμπανον, quodque tam saepe in nostra tragoedia occurrit, mutari potuerit librariorum errore. Deinde si τύμπανον βάκχειον dicitur, poëta mala prolepsi uteretur, quae non satis eo defenditur, quod Maenades ante dixerunt: τόδε μοι ηὗρον et deinde musica illa instrumenta nominant κτύπον εὐάσμασι Βακχᾶν, cum in fine demum strophae chorus disertis verbis dicat satyros illa instrumenta, tympanum et tibiam, ad sacrum cultum Dei adhibuisse.

Recte iam Hermannus dixerat si βάκχια s. βακχεῖα ad sacra Bacchica referretur, absurdam sententiam effici „In Creta, inquit, Corybantes invenerunt tympanum, idque in sacris Bacchicis tibia temperatum dederunt Rheae, a qua acceptum satyri sacris Bacchi adhibuerunt. Itane vero? Num Satyri a Rhea accipere tympana et in sacra Bacchica inferre potuerunt si ea iam usitata in his sacris erant, priusquam illi acceperant ab Rhea? Non Corybantes tympana Bacchi sacris invenerunt ac tum dederunt Rheae, sed Rheae gratia fabricati sunt, quo ne Saturnus vagitum Jovis audiret.“ Quod autem Collmannus conicit τύμπανον scribendum esse, quia aliud obiectum ad verbum θῆκαν necessarium sit, ac πνεύματα, quod proxime antecedit, dubito num recte id dixerit. Obiectum enim ad θῆκαν sunt duo illa instrumenta, tympanum et tibia, quae coniuncta efficiunt κτύπον εὐάσμασι Βακχᾶν „Als begleitendes Geräusch für das Frohlocken der Bacchantinnen, um das Jauchzen der Bacchantinnen zu begleiten.“

Ut iam meam qualemcunque sententiam proferam, iam dixi sedem corruptelae esse videri in voce συντόνῳ, quod a librario aliquo adscriptum esse puto ad explicandum verbum ἀνεκέρασαν, ut exprimeret illa duo instrumenta una sonantia illum sonum effecisse, quem poëta dicit κτύπον εὐάσμασι Βακχᾶν. Puto igitur hanc vocem e textu removendam esse, in initio versus autem, ubi spondeus deest, aliquam vocem intercidisse, quae spondeo in versu strophico στικτῶν respondet. Quod quale fuerit pro certo dicere non possum. Meliorem quidem nunc invenire non possum quam Bacchicam exclamationem εὐοῖ. Verba igitur sic collocanda esse videntur:

τόδε μοι κορύβαντες εὗρον
εὐοῖ. ἀνὰ δὲ Βάκχια
κέρασαν ἁδυβοᾶν Φρυγίων
αὐλῶν πνεύματα.

„Dies (das τύμπανον) war die Erfindung der Korybanten. Evoe. Damit vermischten ſie den bacchischen Hauch der süsstönenden phrygischen Flöte und gaben diese Instrumente nun in die Hand der Mutter Rhea, um das freudige Jauchzen der Bacchantinnen zu begleiten, von der Rhea empfingen sie die rasenden Satyrn und gebrauchten sie zum Reigen der 3jährigen Feste, an denen Dionysos sich freut.“

Vox εὐοῖ saepius in mediam orationem intericitur, ut Soph. Trach. 216 ἰδού μ' ἀναταράσσει, εὐοῖ, μ'ὁ κισσὸς ἄρτι βακχίαν ὑποστρέφων ἅμιλλαν. Vox βάκχια autem non ad sacra Bacchica referenda est sed in universum significat id quod laetitiae et hilaritatis plenum est, quodque illam animi condicionem efficit, qualis eorum qui Deum celebrant propria est, ut Schoenius dicit: βάκχιος tropice dictum esse de furore Bacchico. Ceterum facere non possum quin pietatis causa commemorem aliam coniecturam, ab Augusto Boeckhio, quo olim magistro usus sum, in suo exemplari editionis Hermannianae in margine ad v. 130 adscriptam: Ille pro συντόνῳ adscripsit

εὐτόνῳ addens: εὐ transierat in συν. Quae coniectura sagax quidem est, neque tamen vera videtur. Deinde — id quod maxime commemoratione dignum est — in v. αὐλῶν diphthongum αυ in duas vocales solvi vult, ut ab hoc verbo usque ad Βακχᾶν continuo versus Jonicus sit. Pro ἀνὰ δὲ βακχίᾳ Boeckhius in libro de principibus p. 311 aliam lectionem affert, quam neque codices, ut videtur, neque editores exhibent. Legit enim

ἅμα δὲ βακχείᾳ συντόνῳ
κέρασαν ἡδυβόᾳ Φρυγίων.

Nescio unde Boeckhius sumpserit illud: ἅμα δὲ βακχείᾳ συντόνῳ κέρασαν. Melius sane placet ἀνὰ δὲ κέρασαν, primum quod ἀνακεράννυμι Euripideum est, deinde quod in illa antistropha tertia chorus exponit, quomodo paulatim diversorum musicorum instrumentorum usus in Bacchicum cultum irrepserit, non quibus instrumentis uno eodemque tempore θιασῶται usi sint. Fortasse haec lectio ἅμα δὲ — κέρασαν ex vs. 152 orta est, ubi legimus: ἅμα δ'ἐπ' εὐάσμασιν ἐπιβρέμει τοιάδε. ὦ ἴτε Βάκχαι, ad quem versum nonnulli mss. addunt ἐπὶ λιγεῖ' ἠχεῖ, quod, ut Boeckhius dicit, varia lectio diversae lectionis videtur esse ad illud ἐπ' εὐάσμασιν.

Venimus iam ad praeclaram illam epodum, in qua chorus beatam sortem praedicat earum terrarum, in quibus Bacchus recte et pie colitur: „Laetus quando in montibus ex choreis celeribus humi proiectus recumbit, hinnuli gestans sacram vestem, cum venatur caedem hircinam, crudas epularum delicias, in montes Phrygios, Lydios tendens, Bromius autem clamare incipit εὐοῖ. Fluit vero lacte terra, fluit vino et nectare apum et Syriaci tamquam thuris fumus inde ascendit. Ipse autem Bacchus gestans rutilantem flammam facis ferulae affixam impetu fertur, choros vagantes stimulans et clamoribus excitans, delicatas comas in aërem spargens. Simul cum ululatibus talia infremit: O ite Bacchae, ite Bacchae, Tmoli auro fluentis deliciae, canite Bacchum cum tympanis grandisonis, euoe evium celebrantes Deum, Phrygio clamore et vociferatione, quando dulcisonans sacra fistula sacros ludos sonat congruos cursitantibus in montem, in montem. Gaudens vero velut equinus pullus cum matre sua pascente Baccha celerem pedem agitat saltationibus.“

Statim in primo versu 140, ubi codices habent ἡδὺς ἐν οὔρεσιν ὅταν varia a viris doctis tentata sunt. Vulgata lectio est: ἡδὺς ἐν ὄρεσιν. Musgravius coniecerat ἦδος in montibus voluptas, Elmslejus, ut epodus duobus paeoniis inciperet, scribendum putaverat ὄρεσσιν. Jacobsius (Exerc. crit. I, 146) verba ἐν ὄρεσιν ὅταν ἐκ θιάσων δρομαίων πέσῃ πεδόσε in parenthesi ponenda censet. Novam interpretandi viam Hermannus ingressus est, qui negans haec prima epodi verba ad Bacchum referri, potius refert ad eos, qui colunt et sectantur Deum, quod paulo post poëta dicat ὁ δ'ἔξαρχος Βρόμιος εὐοῖ. „Non enim, inquit Hermannus, si de ipso dicebatur, ipse sibi opponi potuit, ne commemorem epodum nova atque integra sententia incipere debere.“ Itaque una litera addita scribi vult ὅς τ'ἄν, qua scriptura primum versus dactylicus restituatur, qui aptissime cum sequentibus numeris concordat. Simul autem indicari dicit de quo loquatur chorus, quod aliter prorsus incertum foret. Sensum igitur esse: Laetitiae plenus est, in montes quique ex velocibus thiasis in campos sese contulerit.

Haec coniectura digna quidem est Hermanni sagacitate et ingenio, neque tamen vera videtur. Primum enim nullo modo mihi persuaderi potest ἡδὺς ad alium atque ad Dionysum pertinere neque artissime epodi initium cum fine tertiae antistr. coniungendum. Deinde verba

πέσῃ πεδόσε non possunt significare: in campos se contulerit, sed in terra concidit, ut Propertius dicit eleg I, 3, 5: „assiduis Edonis (= Baccha) fessa choreis qualis in herboso concidit Apidano.“ Recte Boeckhius dicit totum locum de Baccho intelligendum et iungendum ἡδὺς —ὁ δέ, ut Soph. El. 711: οἱ δ' ἅμα ἵπποις ὁμοκλήσαντες ἡνίας χεροῖν ἔσεισαν; Eur. Or. 35 νοσεῖ τλήμων Ὀρέστης ὅδε πεσὼν ἐν δεμνίοις. In idem vitium Tyrellus incidit Anglus qui a. 1871 Bacchas edidit. Qui illa prima verba epodi sic vertit: full of joy is the Bacchant, when he flings himself to earth et deinde ad v. 141 haec annotat: Bromios is described as Exarch, not as being really present with them, but as supplying the orgiastic furor, their actual leader is the Bacchant, the pretended servant of Dionysus.“ Iure contra Anglum Collmannus animadvertit: Orgia describere eo consilio chorum sibi proposuisse, ut Dionysum ipsum, non unum vel alterum Dei comitem celebraret. Praeterea Deus ipse orgiis interfuisse statuendus est; ubique Deus ipse Βακχεύς nominatur ut Jonis v. 216:

καὶ Βρόμιος ἄλλον ἀπολέμοισι κισσίνοισι βάκτροις ἐναίρει
Γᾶς τέκνων ὁ Βακχεύς; ibid 716, 17:
ἵνα Βάκχιος ἀμφιπύρους ἀνέχων πεύκας
λαιψηρὰ πηδᾷ νυκτιπόλοις ἅμα σὺν Βάκχαις.

Ex quibus versibus recte Collmannus colligit, etiam in nostra trag. v. 145, sq. ὁ βακχεὺς δ' ἔχων πυρσώδη φλόγα πεύκας non ad θιασώτην, sed ad ipsum Deum referenda esse. Hoc recte igitur Collmannus intellexit, non recte autem ea verba quae sequuntur ἐκ θιάσων δρομαίων πέσῃ πεδόσε mutavit scribens ἐν θιάσοις δρομαίοις σπεύσῃ ποδί. Diversas enim inter se res coniungi dicit in hoc enuntiato: laetus est cum e velocibus thiasis humi procumbit venans caprorum sanguinem, tendens in montes. „Nam qui in thiasis i. e. saltationibus humi procumbit, is quomodo eodem tempore venari et in montes tendere possit, non perspici, cum in altero quiescendi, in altero movendi notio insit. Si autem inter venandum deum humi procubuisse dicamus, verba ἐκ θιάσων δρομαίων inepta esse, quia choreas duxisse simulque venatum esse deum nemo dixerit.“ Desiderat igitur pro verbis πέσῃ πεδόσε vocem aliam aliquam, qua ut participiis ἀγρεύων et ἱέμενος motionis notio exprimitur. Sed vereor ne frustra v. d. quaerat quod adest. Nam verba πέσῃ πεδόσε id ipsum bene exprimunt, quod a Baccho eiusque comitibus expectamus, quod Bacchus eiusque comites facere solent, h. e. furore vini repleti per montes ferri, saltantes, currentes, venantes, qua in saltatione et venatione fieri non potest, quin humi procumbant, deinde postquam surrexerunt denuo longius agitantur. Quae vehemens agitatio Baccharum per totum hoc carmen exprimitur ut θοάζω πόνον ἡδύν; ἐν ὄρεσσι βακχεύων; αὐτίκα γᾶ πᾶσα χορεύσει; Βρόμιος, ὅστις ἄγει θιάσους εἰς ὄρος; ἱέμενος εἰς ὄρεα; δρόμῳ καὶ χόροις ἐρεθίζων πλανάτας. Maxime autem tradita verba confirmantur eis quae choryphaeus dicit fere eisdem verbis v. 600:

δίκετε, πεδόσε δίκετε τρομερὰ
σώματα Μαινάδες.
ὁ γὰρ ἄναξ ἄνω κάτω τιθεὶς ἔπεισι
μέλαθρα τάδε, Διὸς γόνος.

cf. etiam Prop. eleg. I, 3, 5 concidit Apidano.

Nullam igitur causam inveniri contendo, cur a tradita scriptura discedamus; quodque Collmannus scribi vult, eo minus placet, quod ad suam coniecturam confirmandam nimis multa

verba mutare coactus est. Languet ille dativus ποδί, quasi ad currendum aliis artubus atque pedibus uti possemus. Neque illud placet, quod in v. 141, quo prior epodi pars concluditur, particulam γε in τε mutari vult, ut Βρόμιος subiectum totius enuntiati sit. Recte enim Hermannus dicit ad verbum ἔξαρχος supplendum esse ἐστί sensumque esse: ὁ δὲ Βρόμιος ἐξάρχεται τοῦ εὐοῖ λέγειν. Weckleinius quoque hunc locum falso videtur intellexisse, explicans deum exclamare Βρόμιος εὐοῖ."

Majorem dubitationem movent verba quae post hunc versum sequuntur. Habemus enim post pulchrum heroicum versum ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον, ῥεῖ δ'οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν versum aperte mutilatum: νέκταρι Συρίας ὡς λιβάνου καπνός, quorum verborum sensum recte Portus explicat fumum tamquam Syriaci turis inde spirare („Duft verbreitet sich wie von syrischem Weihrauch"). Ad verbum quod deest supplendum Reiskius legendum censuerat: Συρίας δ'ὡλιβάνου καπνὸς ἐκ νάρθηκος ἀίσσει. Ad quam opinionem recte Elmsleius dicit, ut hic versus transferri possit, aut aliquid deesse, aut ῥίπτων v. 150 in ῥίπτει mutandum esse. Alii ἐστίν supplendum esse monent.

Wecklein denique particulam ὡς ortam esse putat ex θρώσκει et legi vult: Συρίας δὲ θρώσκει Λιβάνου καπνός, ut Eurip. dicit Hec. 823: καπνὸν δὲ πόλεως τόνδ' ὑπερθρώσκονθ' ὁρῶ et ad λίβανον affert Phryn. p. 187: λίβανον λέγει τὸ δένδρον, τὸ δὲ θυμιώμενον λιβανωτόν, εἰ καὶ διὰ τὴν ποιητικὴν (ἄδειαν) λίβανον καὶ τοῦτο Σοφοκλῆς λέγει. Ad sensum bene, neque vero apparet quomodo θρώσκει, si quidem verum fuit, mutari potuerit in ὡς, et ipsam particulam ὡς necessariam esse puto propter Syriae commemorationem. Mea quidem sententia hic versus ita sanandus est, ut iterum aut hexameter aut tetrameter dactylicus existat. Numerus enim dactylicus, qui per totam hanc epodum effunditur, male hoc versu interrumpitur, cf. vv. 139: αἷμα τραγοκτόνον, ὠμοφάγον χάριν, 154: Τμώλου χρυσορόου χλιδᾷ; 165 sq.:

εἰς ὄρος ἡδομένα δ'ἄρα
πῶλος ὅπως ἅμα ματέρι φορβάδι
κῶλον ἄγει ταχύπουν σκιρτήμασι Βάκχα.

In versu 154, quem paulo ante attuli, Weckleinius pro Τμώλου quod libri habent scripsit Πακτώλου, ad χρυσορόου afferens Herod. V, 101: τὸν Πακτωλὸν ποταμόν, ὅς σφι ψῆγμα χρυσοῦ καταφορέων ἐκ τοῦ Τμώλου διὰ μέσης τῆς ἀγορῆς ῥέει et Soph. Phil. 393: Πακτωλὸν εὔχρυσον. Putat enim χρυσόρροος non de monte, sed de fluvio tantum dici posse, cum non fluere possit id de quo vel in quo aliquid fluit. Hanc opinionem probarem in prosa oratione, nec vero ad tragici sermonis pompam pertinere puto, liberiores dicendi rationes sequentis. Quanta autem libertate tragici poëtae praecipue in usu attributorum compositorum usi sint, longum est hic accuratius exponere. Liceat tantum in uno Sophoclis loco paulum subsistere, qui egregium exemplum liberioris attributi usus praebet.

In Electra enim Sophoclis v. 1391 sq. chorus de Oreste, qui in domum intravit ad matrem interficiendam, dicit haec:

παράγεται γὰρ ἐνέρων
δολιόπους ἀρωγὸς εἴσω στέγας
ἀρχαιόπλουτα πατρὸς εἰς ἑδώλια
νεακόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων.

Verba νεακόνητον αἷμα non solum librorum omnium consensu auctoritate defenduntur, sed etiam grammaticorum, Hesychii, Etymologici Magni testimonio ita firmantur, ut fere omnes editores dubitaverint aliquid in tradita scriptura librorum mutare.

Dicunt enim illi αἷμα pro μάχαιρα dictum esse et Scholiastes νεακόνητον αἷμα interpretatur ξίφος εἰς αἷμα καὶ φόνον ἠκονημένον. Et ipse ego olim Gustavo Wolffio crediderам haec verba ita explicanti, ut epitheton teli, quo caedes efficitur, ad caedem translatum esset „ab efficienti ad effectum.“ cum voce νεακόνητον autem comparat νεηκονής, quod Soph. de gladio dixit Aj. 820 σιδηροβρῶτι θηγάνῃ νεηκονής. Nihilo minus nunc cum Mauritio Hauptio persuasum habeo non dici posse νεακόνητον αἷμα, cum nimis audacter dictum esset αἷμα pro μάχαιρα, (quod Vergilius A. 10, 140 et Tacit. Histor. 2, 35 dicunt „vulnera dirigere, tela vulnerantia dirigere“ multo facilius explicatur) et ipsam vocem νεακόνητον ferri non posse propter metrum, cum versus strophicus sit μετάδρομοι κακῶν πανουργημάτων, qui versus dipodia dochmiaca est.

Sane μετάδρομοι κακῶν etiam ut tripodia iambica legi potest, cum non semper, in lyricis maxime, muta cum liquida antecedentem vocalem corripiat. Cum autem totum hoc carmen agitatum quendam animum prae se ferat, qui dochmiis bene exprimitur, multo praestat hunc versum ut dupliciter dochmiacum accipere. Quod si verum est, reicere oportet illud νεακόνητον, quod libri habent et grammatici veteres legerunt, accipere autem illud, quod una literula mutata God. Hermannus ex Romana scholiorum editione desumsit: νεοκόνητον, quod et metro et sensu aptius est. Et ille quidem verba νεοκόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων explicat „recens profuso sanguine manus conspersas habens.“ Plane similem locum ad hanc scripturam confirmandam affert ex Eurip. Electra v. 1172:

ἀλλ' οἵδε μητρὸς νεοφόνοις ἐν αἵμασιν
πεφυρμένοι βαίνουσιν ἐξ οἴκων πόδα.

Quae autem verbo νεοκόνητον subest stirps κονέω, a. v. καίνω derivanda est eademque apud Hesychium apparet in glossa: κοναί· φόνοι et apud Eurip. Hippol. 821: κατακονὰ μὲν οὖν ἀβίοτος βίου. — Non igitur dubitandum est, quin veram lectionem Hermannus restituerit νεοκόνητον. Errat autem vir summe venerandus in uno quod explicat „recens profuso sanguine manus conspersas habens.“ Quae explicatio recta esset, si Orestes caedem iam perpetravisset, quod secus est. Potius haec verba ita explicanda sunt ut supra dixi „caedes in qua recens sanguis profunditur“, simili sensu, quo Sophocles in eadem El. dicit v. 476:

εἶσιν ἁ πρόμαντις
Δίκα δίκαια φερομένα χεροῖν κράτη.

h. e. propinquat Nemesis iustam poenam manibus gerens, et ut Horatius dixit in carm. „Te semper anteit dira necessitas, clavos trabales et cuneos manu gestans aëna.“ Attributum compositum liberiore sensu ad substantivum additum est ita ut per se quasi sententiam quandam efficiat. Similis usus attributi compositi his locis invenitur: Eurip. Bacch. 139 dicit Διόνυσος ἀγρεύων αἷμα τραγοκτόνον, ὠμοφάγον χάριν, h. e. venans caedem in qua hircus interficitur, caedem hircinam. Similiter que dixit αἷμα μητροκτόνον Or. 833, 1649; αἷμα παιδοφόνον Herc. 1201; αἷμα ἀνδροφθόρον Soph. Ant. 1022. βροτοκτόναι θυσίαι Iph. A. 384; βορᾷ ἀνθρωποκτόνῳ Cycl. 127; σκῦλα βροτοφθόρα fr. 268; μυοκτόνον τρόπαιον Batrachom. 195; ὠμοφάγους δαῖτας fr. 475, 12; χαρμοναῖσιν [illegible] ἀνδροβρῶτας ἡδονάς fr. 541; ξενοφόνους τιμὰς ἔχω Iph. T. 776; κισσοφόροις

ἐν θαλίαις Bacch. 384, quod Weckleinius explicat, a personis hedera coronatis translatum esse ad ipsum convivium vel laetitiam; potius convivia sunt, in quibus hedera adhibetur, ut στεφανηφόρους θιάσους ib. 531; μόχθοι ὠκυδρόμοι 872; παιδοκτόνους φρενῶν ταραγμούς Herc. 835; μολπὰς δακρυρρόους Hicet. 773; ξιφηφόρων ἀγώνων Herc. 812; βουθύτῳ ἡδονῇ Jon. 664; neque aliter explicandum Διογενέτορες ἔναυλοι Med. 122; βουδόρα ἤματα Hes. op. di. 502. His omnibus exemplis satis superque probatur genuinam et vere Sophocleam esse illam scripturam, quam God. Herm. ex scholiis Romanis protulit νεοκόνητον αἷμα, caduntque omnes coniecturae, quibus viri docti poëtae succurrere voluerunt. Punctum tulit Hermannus. Itaque etiam eo Baccharum loco, unde haec disputatio orta est, tradita librorum scriptura non mutanda est. Τμῶλος χρυσόρους est mons de quo flumen aurum tenens defluit.

Satis habeo hoc quasi specimen emendationis lectori benevolo proposuisse. Etiamsi non omnia quae disserui, doctis viris probatum iri non ignoro, tamen nonnulla eorum certe digna fore spero quae legantur et examinentur. Illud certe ostendisse mihi videor, quod in prooemio disputationis dixi, veteriores editores et criticos qui hujus saeculi initio Euripidi operam navaverunt, inter quos Hermannus non infimum locum obtinet, in universum etiamnunc non contemnenda et interpretationis et judicii exempla proposuisse quaeque nobis recentioribus saepe imitanda sint. Hermannus ipse quid bonam editionem praestare voluerit, praeclaris verbis in praefat. Androm. exposuit his:

„Cum propositum haberem, ut eam tragoediae formam repraesentarem, quae nec barbare ant soloece dictis neque ineptis sententiis neque inconditis numeris lectorem moraretur, hoc est talem qualem ab Euripide profectam esse non esset incredibile, iis quae quoque in loco optimae viderentur scripturae esse, usus sum, indicata potissima diversitate lectionis, quo lector ipse judicare et si aliter sentiret, praeferre aliam scripturam posset."

Addendum.

Quod pag. 15 ineunte in suspenso reliqui, quomodo Hermannus finem tertiae strophae digesserit, nunc demum impressione disputationis absoluta dicere possum. Hermannus eadem partitione usus est qua Schoenius.

Druck von E. Hopf in Spandau.